

eius, quo invaluerat multum partis adverse potentia, et abbreviatus erat non modicum nostrorum numerus bellatorum. Habebat autem in hiis^d universitas Christiana, unde protenderet quasi certe spei fiduciam in futurum, verum *succendentibus prosperis* victores *obliti*³ nomen Domini post triumphum, dato virtutibus *libello repudii*⁴, sic contraxere cum vitiis, quod detrahebatur fidei, ubi convertendi fuerant infideles, et maior erat peccatorum commissio, ubi maior remissio sperabatur. Quapropter provocatus Dominus dexteram in sinistram et gratiam mutavit in iram, *citharam* nobis *vertit in luctum*⁵, et gaudium transtulit in merorem cum nostris in manu hostili conclusis et perdita Damiata brevi dierum numero sic exinaniti sunt temporis longi labores, quod non solum blasphemorum iniuriis nomen est expositum Christianum, verum etiam quoad aliquos qui aliquando communicaverant fidei contemptui datus est ipse Christus, unde facta est durior post prosperitatem adversitas et eo minus habuit consolationis afflictio, quominus argumenta prosperitatis preterite subsecute iacture pati poterant coniecturam. Sed licet iniquitates nostre quandoque diviserint inter nos et Deum^e nostrum, *non est tamen aggravata Eius auris, ut non exaudiat*⁶, nec abbreviata^f manus Eius, ut salvare non possit. Misericordiam quippe non continebit in ira quin saltem propter nomen suum, ne ulterius blasphemetur in gentibus, potenter exurgens iudicet causam suam et exaltans humilem in salutem, iniquos abigat et consternat elatos. [Narratio] Ecce ipsius inspiratione, ut firmiter credimus, karissimus^g in Christo filius noster Fridericus illustris Romanorum imperator semper augustus et rex Sicilie omissis multis arduisque negotiis, quorum onus honorem imperialis celsitudinis sequebatur, venit ad nos in Campaniam nobiscum de predicte Terre subsidio tractaturus. Ibique presentibus venerabili fratre nostro ..^h patriarcha, et carissimo in Christo filio nostro Iohanne illustri rege Ierusalimitan., ..ⁱ Beethlemitan.^j episcopo, ..^k magistro Hospitalis, ..^l preceptore Templi et ..^m magistro Domus Theutonicorum ac aliis, quos ad tractatus huiusmodi diversisⁿ mundi partibus vidimus^o adhibendos, singulis, que natura negotii requirebat, diligenti

- | | | | |
|---------------------------------|---------------------------------|---------------------------------|------------------|
| d) iis E. | e) dominum E. | f) abbreviate E. | g) carissimus E. |
| h) <i>gemmipunctus deest E.</i> | i) <i>gemmipunctus deest E.</i> | j) Bethleemitano E. | |
| k) <i>gemmipunctus deest E.</i> | l) <i>gemmipunctus deest E.</i> | m) <i>gemmipunctus deest E.</i> | |
| E. | n) e diversis E. | o) credidimus E. | |

3) Gen. 40.23.

4) Ier. 3.8.

5) Iob 30.31.

6) Isai. 59.1.